

populi ad Ecclesiae Romanae sinum vel reluctantes et inviti. Eosne accedentes nunc ultro et admitti flagitantes, repelli nullam ob causam cum religione et bonis moribus aperte pugnantes et in perpetuum excludi, paterna S^{is} V^{ae} caritas patietur?

Haec sunt, B. Pater, quae confidimus fore, ut S. V. pro sua pietate, prudentia et aequitate consideret; quippe quae probe intelligit ac porro laetabitur, se in hac arce Romani positam imperii non tam ut destruat et evellat, quam ut aedificet et plantet. Ier. 1.

Archivio di Stato di Monaco, *Iesuitica* fasc. 16, n. 279.

2. Il generale dei gesuiti Tamburini al Visitatore del Giappone e della Cina.¹

15 novembre 1710.

Cum mens SS. Pontificis circa ultimum decretum de ritibus Sinensibus nequeat melius explicari quam per litteras ill^{us} Assessoris S. Officii, quas ipse ad nos scripsit, illarum copiam hic accludimus, simul et nostrum responsum. Probe introspectum habet R. V., quanta esse debeat Societatis oboedientia erga S. Sedem Apost.; ideoque ab hoc novo praecepto Sanctitatis Suae minime sibi suisque subditis liceat ne latum quidem unguem deflectere vel ad dexteram vel ad sinistram; et hoc ipsum accurate faciat innotescere suis omnibus et singulis subditis.

P. Vice-Provinciali Sinensi litterae eiusdem tenoris missae sunt eodem die 15 Nov. 1710.

3. Da una lettera di un francescano diretta a Lisbona.

Canton, 2 dicembre 1710.

Recepi ad 27 Septembris praesentis anni affectuosissimas litteras V. Paternitatis, datas sub 27 Ianuarii 1709... Credo quod V. Paternitas isto tempore inquisiverit notitiam negotii mei cum em. legato Turnone, qui tantis crucibus me oneravit, ut opus fuerit exclamare: non amplius. Nisi lesset assistentia fratrum meorum correligiosorum Hispanorum discalceatorum, quibus me tempore missionis meae aggregavi, mortuus fuisset prae fame. Nam ab anno 1702 nec vidi nummum de subsidio, quo me privavit Em^{us} praedictus, vel melius ipsius familiares, praesertim Dom. Sabinus Mariani etc., atque ita ferme animam vendere ex necessitate debuisset.

Frater car., apparet totum infernum positum esse ad eradicandum totaliter vineam istam Domini, et quidem per instrumentum illorum, qui promovere et augere deberent. Patres S. J. sunt in ista magna tempe-

¹ Cfr. sopra p. 349.